

De pœna temerè delinquentium.

C A P V T I X.



VAMOBREM, quia hucusque quicquid factò opus sit, tradidimus, neque quicquam quod ex ratione dici possit aut in rem sit, prætermisimus: ad obseruantiam etiam harum constitutionum diligenter ac seriò omnes cohortati sumus, sequitur porrò, vt si quis in officio suo cessator aut infidelis repertus fuerit, is cognita causa pro grauitate delicti pœnam sustineat. Quid enim profit multas bonas leges condidisse, si non obseruentur? Non obseruabuntur autem, nisi in delinquentes iusta fiat animaduersio. Nam boni qui fuerint, sua sponte optima quæque facient. Lex enim iustis non est posita, sed transgressoribus. Magistratus quoque non portat gladium frustra, sed male facientibus est terrori. Quidam rectè dixit, nullam rem publicam posse consistere absque legibus: legum nullum esse momentum, si non detur actio: actionem omnem frustra suspici, ni sequatur exsecutio. Incipiamus ergo ab exordio, & quæ cuique delicto statuenda sit pœna, qui temerè harum constitutionum leges (quas ego per Aesculapium vellaqueis

queis inserto collo rogare non verear) offendet, videamus.

Primum quidem, Conseruatores ipsos quod attinet, et si legum harum præfecti erunt: tamen non decebit maiorem sibi libertatem vindicare, quam ipsa suprema Maiestas imperatoria sibi esse voluit: qui quamuis supra leges se esse fateatur: tamen se legibus obtemperare & subijci velle ait. Et certè æquitas postulat, vt quod quisque in alios statuit, idem quoque ipse ferat. Isocratis sententia est, Vulgus libenter imitari, quod delectari videt suos præfides. Itaque conseruatores studeant omni modo suam autoritatem tueri, nec nomine solùm, verum etiam re ipsa sanitatis conseruatores esse, communemque salutem ex animo procurare nitantur. Quod si aliquid negligenter aut ipsi egerint, aut alijs per gratiam (quod minus decet Magistratum vel ethnicorum doctrina) concesserint, vniuersi Senatus decreto, quod eis infamiam pariat, ab officio deponuntur, & in ordinem ciuium rediguntur.

*L. odignæ
Sax. cod. de
legib. Item
L. princeps
ff. de legib.*

Medici, Chirurghi, Pharmacopœi, si quid per errorem commiserint, quod in hominum iudicium non venit (sæpe enim talia possunt accidere) Deum se vindicè habituros sciant. Quod si cuius leuioris culpæ rei facti fuerint, id industria compensent maiori. Qui nõ tam dextrè omnia ac peritè, quàm soli excellentiss. egerint, ipsa etiã lege absoluntur. Difficile enim est semper quod
rectif.

L. lata. rectissimum est, assequi, neque omnes possumus
L. magna Hippocrates aut Galeni esse. Qui verò latam in
ff. de Verb. se culpam admiserint, id est, crassa & affectata i-
Cre. signi. gnorantia in eo deliquerint, quod plerunque om-
 nes sui ordinis aliter & commodius fecissent, mul-
 tæ subiaceant arbitrariæ, quæ vel in priua-
 tione officij, vel defalcatione stipendij, vel deni-
 que detrimento honoris & famæ consistat. Reli-
 qua autem crimina secundum leges Imperiales,
 aut Principum constitutiones, aut plebiscita pu-
 nienda relinquuntur. Interim autem & hi, & se-
 quentes ministri Ecclesiæ ab aliorum confor-
 tio se abstinebunt, aut pœnam arbitrariam susti-
 nebunt.

Prover. 15. Ministri Ecclesiastici, qui animarum medici
 sunt, non facile possunt latam culpam in officio
 suo admittere, si ex animo, quod dicuntur, stu-
 deant esse, neque se tardos cuiquam præstent,
 neque respectum personarum (quod minimè
 eos decet) habuerint. Quare exceptis publicis
 criminibus, si quid negligenter egerint, aut se
 minus piè gesserint, Deo incorrupto iudici, re-
 rumque & cordium scrutatori puniendos relin-
 quemus, vel ad summum ab officio suspende-
 mus, subtracto interim salario menstruo.

Inter ciues, quisquis instituti ordinis turbator
 aut transgressor fuerit deprehensus, pœnam fe-
 rat pro ratione delicti. Si ebrius quis reperiatur,
 publica ignominia, vel pecuniæ multa, obser-
 uata personæ, occasionis, frequentiæ, grauitatis-
 que

que circumstantia, veniet plectendus. Qui choreas duxerint, balnea publica adornarint aut adierint, nuptias celebrarint, leuius quidem: sed si impetrauerint singulare priuilegium, omnino non puniendi sunt. Possunt enim incidere causæ, cur quibusdam aliquid concedatur, quod passim in omnibus fieri non debeat.

Qui res prohibitas in urbem importare ac diuendere ausi fuerint, rerum ipsarum priuatione iustè plectendi sunt. Eadem etiam pœna debetur illis qui emerint, si adhuc integras secum habebunt: alioqui multa rerum precio æqualis esto.

Qui autem rerum vtilium, vt esculentorum, poculentorumque in alio, quàm præscripto loco, venditionem exercere inuenietur, ille totius rei, quam venum exposuerit, iacturam feret.

*Inst. de re.
Diuis. §.
Cum in a-
lieno solo.*

Quisquis precium rerum vendibilium plus iusto auarè, vel vltra præscriptum priuata autoritate auerit, illicitarum vsurarum pœnæ subijcitor, & ad aliquod temporis spacium commercij exercendi ius illi interdictum esto.

Quicumque prohibita animantia non remouerit, neque sordes, quas illa progenuère, auerit, certa pecuniæ summa plectatur: Sin autem in plateam publicam proijcere tentarit, duplo puniatur, & nihilominus suo sumtu extra urbem exportare cogatur. Si neglexerit, pro singulorum dierum ratione multa intendatur: vel per publicos ministros duplici ipsius sumtu auferri curetur.

Ca-

Canes, feles, capras, &c. quę singulorum sunt propria, nisi domi quis coercuerit, pecunię summam arbitrariam pendito: & vnicuique qui ea ceperit, interficiendi retinendique ius esto, nisi absque Domini negligentia factum proberur. Equi autem, si effracto stabulo effugerint, restituendi sunt suo possessori. Nam eiusmodi non solent circumuagari.

Si quis vel alienigena vel ciuis ex infectis suspectisue locis veniens, non habuerit testimoniũ sanitatis, rerumque, si quas secum affert, integritatis, excluditor: Quod si clam ingressus fuerit urbem, rerum quidem suarum damnum ferat, ipse verò multa affectus ad spacium temporis aliquod repellatur, aut omnino excludatur.

Qui autem peregrè venientes absque sanitatis testimonio admiserit portarum custos, si sciens fecerit, aliquot dies carcerem adito: si insciens, vt sit in copia transeuntium, aliqua saltem multa pecuniaria plectendus. Idem statuendum in Pandocheos, & qui hospitio excipiunt aduenas.

Quicumque post interdictum conseruatorum ex ædibus peste maleficiatis sine præscripta nota egredi ausus fuerit, summa pecuniaria punietur: Sin autem quamuis nota insignitus, in alienas ædes temerè ingressus fuerit, aut hominum turbæ se immiscuerit, exeundi licentia postea careto, aut in Læmodocheum deducitor. Idem in eos statuendum, qui ex vno Læmodocheo in alterum transferint.

Qui sanus vel æger Medicinam contemserit, pertinaciæ damnandus est, & tanquam hæreticus habendus: cui postea quoque minus beneficij & officij debetur ab alijs, imò ciuium societate indignus censebitur. Tentauit enim Deum, & cū refractarijs Iudæis, miraculare quirit, cum posset sine miraculis gratiam Dei experiri.

Quicumque affirmauerit, Christianis liberum esse tempore pestis ciuitatem Ecclesiamque suam absque honesta causa & præsidum consensu relinquere, is schismatici titulo dignus est: Et si sic fugerit, iure ciuitatis priuandus. Qui autem omnem pestem tanquam immediatam Dei plagam esse affirmauerit, ille ignorantia condemnandus, & vt blasphemus spernendus est: quippe qui hominum temeritatem ac supinæ suæ negligentia culpam in Deum reijciat.

Libitinarij, bustifabri, expiatores, qui que efferendis mortuis præfecti sunt, si se non abstinuerint ab aliorum consuetudine, sicut qui in ædibus pollutis domestici fuerunt (si eodem modo peccauerint) plectendi sunt. Quod si quando nondum mortuos sepelierunt, vt contigisse aliquando diximus, si id scienter fecerint, velut homicidæ habentor: Sin ignoranter, Deum deprecantor culpâ. Quod si verò aliquid rerum in expiandis ædibus secum abstulerint, furti: sed si cui alij id ipsum donauerint, exhibiti veneni teneantur, pœnâque coerceantur corporali.

*Inst. de
pub. iud. §.*

*Item Lex
Cornel.*

Quod si quis ante præfinitum tempus, sine li- *Exod. 22*
sen-

centia domo exierit, & se in cœtus aliorum ingesserit, is de nouo totum inclusionis tempus repetere tenebitur, & insuper multa arbitraria afficiendus est. Quod si idem infectus antè, & vix dum restitutus, aut saltem mediocriter restitutus, facere audebit, summæ ingritudinis accusandus, omnibusque beneficijs, quæ ei præstari solent, priuandus, & prætereà diuturniori inclusione coercendus est. At si iam actu peste affectus, hoc piaculum, summa sceleratâque fretus audacia, cõmittere deprehendatur, tanquam sicarius post bonorum (si liberis caret) priuationem, carnicifitradatur.

Hæ igitur pœnæ temerè delinquentiũ sunt: Quas pro ratione temporis, loci, personæ, ætatis, sexus, enormitatis, frequentię, augere vel mutare poterunt conseruatores. Quicquid autem multarum collectum fuerit, id partim in subsidium pauperum impendendum, partim læmodochijs applicandum,

Synopsis